UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Accessus ad Moniales

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

da erit diſiunctivè ; Si verò non æquè primò, vel cum dependentia, tunc copulativè erit ſumenda. *p. 9. tr. 1. reſ. 2.*

ACCESSUS AD MONIALES.

Accessus ad Moniales omnibus prohibitus. A ſummo Pontif. & Sacra Congr.

1. † ACceſſus ad monaſteria Monialium eſt omnibus, tam laicis, quàm Eccleſiaſticis vetitus *in cap. periculòſo, de ſtatu Regul. in 6. cap. Monaſteria, de vita, & honeſt. cler.* Et peculiariter Religioſis ex decreto Sacræ Congregationis, juſſu D. N. Sixti V. edito, an. 1590. Accedere autem dicitur ad monaſteriũ, qui ad eum locum ſe transfert, ut Monialem alloquatur, inſpiciat, vel ab illa inſpiciatur. Ita Bonacina *de cluſ. 43. punct. 1.* in fine. † Adverte, quod in cap. *Monaſteria*, prohibetur frequentatiò monaſterii moniali ũ. Sed quãvis Flamas *in meth. Curat. App. §. 4.* teneat frequentantes ſine cauſa legitima peccare mortaliter: ego tamen cum Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 6. cap. 16. n. 120.* id non probo, ſi abſint ſcandala, pravus finis, &c. Quamvis ſcandalum fere ſemper adſit, *p. 3. tr. 2. reſ. 48. §. Et tandem.*

Et alicubi, etiam ab Epiſcopo. Sed an prohibitio Epiſcopi comprehendat monaſteria ſubdita Regularibus?

2. Præter leges Papales prædictas, extat alicubi conſtitutio Epiſcopalis prohibens ſub excommunicatione, ne quis ad Monaſteria Monialium, accedat & alloquatur. Quæ excommunicatio ſecundum Riccium apud Bariolam *Aph. v. Epiſcopus, §. ult;* incurritur etiam ab eo, qui accedit ad monaſteria ſubjecta Regularibus; quia Epiſcopi per Trident. facti ſunt Sedis Apoſt. delegati pro conſervanda Monialium clauſura. Genuenſis apud eundem *ibid.* id negat. Bonacina *de cenſ. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 11. num. 9.* diſtinguit, & incurrere inquit accedentes, quia acceſſus fit in territorio Epiſcopi, non incurrere verò alloquentes, quia allocutio fit in loco exempto, *p. 5. tr. 9. reſ. 71.*

Diverſa opinio.

Vide V. *Alloqui Moniales.*

Alloquentes converſis monialium incurrit in cenſuras Epiſcopi.

3. Alloquentes cum converſis Monialium incidunt in cenſuras latas ab Epiſcopo, & Regulares in pœnas. *Dec. Sixti V. & S. Congreg.* Joſeph de Ianuario, & alii, *p. 10. tr. 14. reſol. 51.* ſic etiam alloquentes cum monialibus per ſigna, vel per nutus, *ibid. DD. verſ. ſed ſi aliquis.*

Per ſigna & nutus etiam.

4. Regulares alloquentes cum monialibus abſque licentia, peccant mortaliter Pax Iord. & alii *ibid. reſol. 52.* & incidunt in excommunicationem ab Epiſcopo latam. Congr. Card. 9. Aprilis 1587 *ibid. reſ. 53.* & qui licentiam indiffinitam obtinuit poteſt toties, & quoties opus fuerit alloqui cum Monialibus. Joſeph de Janu. & alii *ibid. reſ. 54.*

Peccat mortaliter. Ligantur cenſura Epiſcopi. Poteſt cum indefinita toties & quoties.

5. Quamquam Moniales non reſpondeant, alloquentes ipſas, incidunt in cenſuram latam contra loquentes cum Monialibus. Merolla *tom. 1. diſp. 1. cap. 2. num. 589.* Ac per talia Statuta alloquentes & colloquentes pro eodem accipi certiſſimum eſt. Hæc latè *p. 10. tr. 14. reſ. 49. verb. ſed Ego.*

Alloquẽtes & colloquentes pro eodẽ accipiuntur.

6. Stante decreto Urbani VIII. per quod concedit, quòd Epiſcopi poſſint dare licentiam Regularibus colloquendi cum Monialibus in primo gradu, ac ſecundo ſibi conjunctis per 4. vices in anno, poterunt illam negare, quia decretum non eſt ut debeant, ſed ut poſſint, *quatenus ſibi viſum fuerit in Domino.* Bordon. *in Miſcell caſ. conſc. deciſ. 222.* quem laudo. *part. 10. tract. 14. reſ. 1.* Vide. *Alloqui Moniales.*

Epiſcopi poſſunt negare licentiam loquendi, etiam in diebus permiſſis.

ACCUSARE.

1. POteſt quis accuſare aliquem, qui occidit patrem, fratrem, &c. & dolet de ea re, & offert ſufficientem pecuniarum ſatisfactionem pro damnis inde allatis. Arriga. & Judex dilationem faciens ſecluſo animo vindictæ dilatio eſt omnino licita. Diana *p. 10. tract. 16. reſ. 43.*

Poteſt accuſare. Licita eſt dilatio.

ADULTERIUM.

1. † ADulterium eſt illicitus cũ perſona conjugata concubitus. Triplex autem eſt. Primum, conjugati cum ſoluta. Secundum, ſoluti cum conjugata. Tertium conjugati cum conjugata. Eſt gravius peccatum fornicatione: Nam continet totam illius malitiam, & præ-

Adulteriũ quid, Et quale peccatum. Ex adulterio cum promiſſione conjugii oritur impedimentũ criminis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN